

*Judicia Regni tum Brevia, tum Octavalia, postliminio iterum in usum revocantur et instituuntur modo sequenti.*

A R T I C U L U S 70.

§. 2. In Sclavonia vero pro Festo Epiphaniarum Domini et Sancti Jacobi, in Civitate Montis Graeciae.

*De Taxa literarum et Privilegiorum.*

A R T I C U L U S 72.

§. 21. De Literis Adjudicatoriis; Remissionalibus super deliberatione causarum quarumcunque Appellationum, in sedem Regiam deductarum emanatis; si causa talis simpliciter approbata, vel etiam sine quavis poena emendata fuerit; floreni Tres: Sin vero approbata quidem, sed poena in Comitatu, parti convictae imposita, juxta Decreta et observationes Regni, duplicata fuerit; floreni Sex. Et hoc intelligendum est de Causis ex sedibus Comitatum, quae ultra Centum florenos, quoad poenam se extendere non possunt, transmissis: Nam in causis ratione honorum et Jurium possessionariorum, vel alicujus rei magnae, ex Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, ac partibus Transylvaniae, nec non Liberis et Montanis Civitatibus per viam Appellationis deductis, si Causa hujusmodi in Curia Regia fuerit approbata, vel emendata; tunc pro Literis debet fieri solutio, sicuti superius de Literis Adjudicatoriis ratione Obtentionis honorum et Jurium possessionariorum descriptum est.

MATTHIAE II. IMPER. & REGIS DECR. III. ANNI 1613. ART. POST CORON.

*De connumeratione portarum Dicaeque Contributione: De exactione item pro conservatione Coronae, emptione et aedificatione domus, ac pro diversis Legatis: Nec non de modo Contributionis per Regnum Sclavoniae praestandae.*

A R T I C U L U S 9.

§. 3. In Sclavonia more antiquo medium Dicae solvatur et in usum illorum Confiniarum convertatur; dempto honorario infrascripto et Contributione in conservationem Coronae deputata, quae integre praestare debent. \*)

*Articuli praeteritarum Diaetarum de violentiis et occupationibus bonorum editi lucidius declarantur.*

A R T I C U L U S 23.

Articuli Constitutionum praeteritae Diaetae, de violentiis et occupationibus bonorum editi; ut in suo esse, vigore et vero sensu maneant, Status et Ordines Regni etiam nunc decernunt.

\*) Allegatur; An. 1618. a. 41.